

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 5: De amore Dei (19)

Idem (Augustinus):

Si filii huius seculi noctis et tenebrarum,
tanto desiderio tantoque studio diligunt,
et querunt perituras divitias et fugitivos honores,
quantum nos servi tui diligere debemus te,
per quem facti et redempti sumus.
Si enim homo hominem tanta diligit dilectione,
ut alter alterum vix patitur abesse,
si sponsa sponso tanto conglutinatur amore,
ut pre magnitudine amoris, nulla perfrui valeat,
absentiam sui cari, non sine magno merore ferens.
Qua ergo dilectione, quo studio,
quo fervore anima quam despontasti tibi spe et fide,
in misericordia et miseracionibus,
debet diligere te deum verum et pulcherrimum sponsum,
qui nos sic amasti, qui pro nobis tanta et talia fecisti?
Quamquam autem hec infima suas habeant dilectiones,
et delectationes suosque amores,
non tamen tali modo delectantur sicut tu, deus noster.

Clementissime Domine, et aequissime judex,
cui omne judicium dedit Pater, sapientissimo aequitatis tuae
decernis imperio hoc rectum et justum esse,
ut filii hujus saeculi, noctis scilicet et tenebrarum,
praestantiori desiderio, virtute atque studio diligent
et quaerant perituras divitias et fugitivos honores,
quam nos servi tui diligamus te, Deus noster,
per quem facti et redempti sumus.
Si enim homo hominem tanta diligit dilectione,
ut alter alterum vix patiatur abesse;
si sponsa sponso tanto mentis conglutinatur ardore,
ut p[re]ae magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie,
chari sui absentiam non sine magno moerore ferens:
qua ergo dilectione, quo studio,
quo fervore anima quam despontasti tibi in justitia et fide,
in misericordia et miseracionibus,
debet diligere te Deum verum et pulcherrimum sponsum,
qui nos sic amasti et salvasti, qui pro nobis tanta et talia fecisti?
Quanquam autem haec infima habeant suas delectationes,
suosque amores;
non tamen tali modo delectant, sicut tu, Deus noster.

Pseudo-Augustinus, *Meditationum liber unus*, 35 (PL 40,
col.929-30).